



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Hvnocvrtense Monasterium in dioecesi quidem Cameracensi, sed in ditone regni Galliae, ad Scaldim fl. tertio lapide à Cameraco situm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

bergenſi duo magna fecit. Primò nos ad noſtram Eccleſiam, & quæ noſtra fuerant, reſtituit. Secundò quia locum quaſi ex toto lapſum in toto reparauit. *Hactenus Iperius.*

## HVNOCVRTENSE

*Monafterium in dioceſi quidem Cameracenſi,  
ſed in ditione regni Gallie, ad Scaldim fl.  
tertio lapide à Cameraco  
ſitum.*

**Q**uidam vir nobilis Amalfridus nomine, monaſterium in ſua proprietate conſtruxerat, in pago Cameracenſi, ſupra fluum Scaldim, in loco vocato \* Hinilficurte, in quo monaſterio filiam ſuam Aurianam fecerat Abbatiffam. Hoc monaſterium cum ſuis pertinentijs, ipſe Amalfridus beato Bertino donauerat, eo tamen tenore, vt ipſe & filia eius Auriana, eundem locum, quamdiu uiuerent, tenerent, ſed poſt vtriuſque obitum ſanctus Bertinus, eiusque ſucceſſores hoc haberent, tenerent, & quemcumque vellent, eidem proponerent. Quam donationem Amalfridus priuilegij ſui traditione firmavit: quod ſic incipit: Quantum intellectus ſenſus humani &c. Actum Veromanduis, Februarij die octauo, anno XI. Regni Theoderici glorioſiſſimi Regis. Quod Amalfridus regali priuilegio confirmari fecit, quod ſic incipit. Quoties recta poſtulatatio, &c. Datum Kalendis Aprilis, XIII. regni noſtri in Pa-

\* *Aut Hu-  
nulficurte.*

rifiaco palatio. Deinde Amalfrido Auriana-  
que defunctis, moniales ibi succedere S. Ber-  
tini successores inhibuerunt, & monachos  
ibi statuerunt, Ecclesia itaq; illa subiecta fuit  
Abbati S. Bertini. Quomodo verò sit abalie-  
nata, & ab hac obedientia nostra recesserit,  
scripta nostra non continent. *Sic Iperius in  
Chronico suo MS. Bertinensi.*

Lib. 1.

*Fuit autem cœnobium Hunocurtense, à pri-  
ma institutione, sexus utriusque, & à sancto Vin-  
ditiano Cameracensi Episcopo consecratum, ad-  
stante Sancto Lamberto Traiectensi Episcopo.*  
Testatum id reliquit his verbis Chronographus  
Cameracensis: Vinditianus Pontifex in vico,  
qui à sede Cameracensi fere VII. miliaribus  
distans, vocabulum Hunolcurth ab antiquis  
accepit, monasterium, accersitis secum non  
paucis Coëpiscopis, unaq; etiam beato Lam-  
berto Leodicensi, martyre pretiosissimo, ad  
laudem Dei & venerationem S. Petri cōsecre-  
uit, ibiq; clericos & sanctimoniales cōstituit.

Lib. 2.

*Idem Chronographus, libro secundo, de cœno-  
bij huius auctore ista refert: Transeamus ad  
monasterium sancti Petri in villa Hunulcort,  
vbi sanctam Pollinam quiescere certò repe-  
ri. Hoc nimirum illustris vir Amalfridus,  
cum vxore Childebertana fundauit, deputa-  
tisq; sanctimonialibus filiam suam Aurea-  
nam præfecit; fuitq; olim religione florens  
& opibus. Nunc autem, postquam viris mili-  
taribus beneficiatum est, ad paucos Canoni-  
cos deriuatur.*

Exqui-

Ex quibus verbis patet in Hunonis curia Canonicos aliquandiu resedisse: quibus amotis Benedictini demum successerunt, qui hodieq; locum istum possident.

De SS. Pollina & Valeria virginibus, itemq; S. Liefardo, quorum reliquiæ hîc olim quieuerunt, vide Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij.

## CAPVT XXXII.

S. Maria ad Martyres monasterium, apud urbem Treuerensem.

**H**abet id nomen à SS. Martyribus Thebæis, eò loci anno 291. trucidatis, fuitque olim Regum Galliæ palatium, quòd in basilicam Deiparæ conuersum est anno circiter 380. à Felice Treuerensi Episcopo. Idem postea conuersum est in monasterium anno circiter 674. à S. VVilibrordo Vltraiectensi Archiepiscopo Galliæ Belgicæ Apostolo. In hoc monasterio adseruatur altare portatile S. VVilibrordi quod vir Dei circumferre solitum est, cùm Batauiam ac Frisiam, Euangelium prædicans peragret. Monasterium istud à Normannis anno circiter 696. vastatum, Theodericus & Egbertus Archiepiscopi Treuerenses instaurarunt. Ita ferè Bruschius.

694.